

CORPUS THOMISTICUM
Sancti Thomae de Aquino
Ecce ego
sermo authenticitate probabilis

Textum Lutetiae Parisiorum 1879 editum
ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

[86771] *Ecce ego Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*, Matth. XI, 10. Sumptum est de Malachiae ultimo. In his verbis describuntur tria circa salvatoris gratiosum adventum, scilicet: dignatio mirifica Dei patris, ignitas gratifica praecursoris, et benignitas mirifica salvatoris. Primum, ibi: *ecce ego mitto*. Secundum, ibi: *Angelum meum*. Tertium, ibi: *ante faciem tuam*. Nota igitur quantum ad omnia, quod tam salvator quam praecursor fuerunt nobis missi a patre Angeli officio, non natura; etenim fuerunt vere nostri Angeli divinitus nobis missi: ad coelestium mansionum paranda itinera. Genes. XXVIII, 12. *Vidit Jacob scalam, et Angelos Dei ascendentes et descendentes per eam*. Ad divinorum voluntatum patefacienda secreta. Galat. III, 19: *lex fuit ordinata per Angelos in manu mediatoris*. Ad divinarum condensationum implenda ministeria. Matth. IV, 11: *Angeli accesserunt et ministrabant ei*. Ad spiritualium perfectionum praebenda exempla et documenta. Genes. XXXII, XXXIII, 12: *fuerunt, Jacob obviam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait: castra Dei sunt haec*.

© 2006 *Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem*
Iura omnia asservantur
OCLC nr. [49644264](#)